90 440

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quartâ Januarii 1714.

M. ELIA COL DEVILARS, Doctore Medico, Præside.

An morbi à Fluidis?

I.

SCRUTANTI Microcosmi fabricam, obvia primùm tibi occurrit Liquidorum & Solidorum mira Compages; Machina namque Humana varius est innumerabilium tubulorum contextus, qui quidem omnes liquidis semper sunt pleni, tensi, moti & Elatere donati. Concinna tot partium positura, tot mirandæ earumdem commissuræ, tot Liquidorum Solidorumve motus perennes & reciproci, non incertæ & mutabilis Fortunæ, sed solam Dei arguunt potentiam. Singularis Viscerum structura: variæ ex assiduo illorum labore manantes Functiones, sibi invicem circulariter principium & finis, causa & effectus: Alimentorum solutio, Fermentationis & Tritûs opus: Chylosis primaria & simplex secretio: Hæmatosis, à duobus contrariis motibus oriunda, tritu & fermentatione: Secretiones omnes secundariæ, congeniti sibi analogi humoris ope celebratæ: Nutritio: Generatio: varii tandem ac innumeri nervorum & fibrarum motus, affectionum Animæ interpretes, Altitudinem Sapientiæ & Scientiæ supremi Conditoris dilucidè tibi commonstrant & prædicant. Miraris sanè tot & tam varios unius Machinæ effectus? nunc stupe intuens tot & tam calamitosos ejusdem à natura sua declivis Errores. Dum hominum alii, vigente functionum integritate, perfectâ, sed rarissimâ fruuntur sanitate, alii, læsis iisdem functionibus, innumeris morbis, Epilepsiâ, Catarrho, Asthmate, Lue venereâ, Scorbuto, Rheumatismo, Arthritide immaniter cruciati, miserrimam ducunt vitam. Alii vel æstuante torrido aëre, frigore rigent. Alteri vel in mediis aquis constituti, videntur sibi flammis circumdari, iisque torreri. Hi quasi mortui altissimo sepeliuntur somno. Illi delirio & vigiliâ perpetuò excitantur. Hi mites, placidi & faciles. Illi furore accensi continuò debacchantur. Hi Ludiorum instar mirum in modum leviter moventur. Illi velut Simulacra pedes habent & non ambulant, manus habent & non palpant,

Ipsa quoque interiùs cum duro lingua palato
Congelat, & venæ desistunt posse moveri,
Nec flecti cervix, nec brachia reddere motus.

Horumce stupendorum effectuum causam sciscitaris? attende ad universa Naturæ phænomena, quæ duobus tantùm Pugilibus, Fluido & Solido debentur. Alterutrius imperium capescentis vim & energiam sedulò perpende. Aliud enim propriis, alterum verò mutuatitiis agit viribus.

II.

FLUIDUM corpus rectè definitur quod partes habet valdè tenues in perpetuo motu positas ac sponte sua diffluentes. Corpus solidum, quod sponte suâ consistit, id est, quod partes habet juxta se invicem quiescentes, illud igitur agens, hoc verò patiens agnosce. Non unicum est fluidum corpus humanum afficiens, illiusque substantiam ingrediens. Primum ac præcipuum, Æther, Fluidum homogeneum, omnium tenuissimum, pernicissimo motu actum, cætera corpora permeans ac movens, cujuscunque figuræ capax, nullius tenax. 2um Fluidum, Aër, ex particulis tenuibus, multi-

formibus, primo fluido innatantibus conflatus, maximo Elatere donatus. Aqua denique tertium Fluidum, ex partibus constans lævibus, teretibus, 1° & 2° fluido innatantibus. Hæc tria Fluida rectè dices Simplicia & Primaria, solidum solventia, soluti vehicula, quæ pro variâ sibi admixtâ principiorum sensibilium, ex quibus solidum conflatur, quantitate aut qualitate, varia constituunt Fluida composita, seu liquida, variis insignita nominibus; alia quippe sunt dulcia, lævibus, scilicet & obtusis particulis linguam leviter demulcentia. Alia salsa, aculeis & acribus cuneis terrenâ compage intricatis munita. Alia Acria, particulis, multis angulis inæqualibus, Echinorum instar, protuberantibus donata. Alia Acida, aculeis longis, rigidis & scindentibus armata. Alia Austera, partibus, surrectis & paululùm incurvatis pilis inhorrescentibus instructa. Alia Amara, obtusioribus cuspidibus velut scopis stipata. Alia Unctuosa, partibus crassis, mollibusque globulis lentescentia. Alia demùm innumera propè Sapida, prout duæ aut plures Saporum variis gradibus commiscentur species; hinc Chylus, variis Alimentorum principiis fetus; hinc Sanguis, Liquor heterogeneus, motor & motus, secernendorum Humorum parens, vitæ moderator. Nec unicum est corpus solidum fabricam humanam constituens. Aliud enim est durum, sive osseum, ex tubulis densatis, & planâ superficie conjunctis effectum. Aliud molle seu carneum, ex tubulis constans laxè conjunctis, sanguine aliisque humoribus uberiùs irrigatis. Aliud Membranaceum ex iisdem telæ in modum connexis. Aliud Medullare, ex vesiculis mutuò commeantibus. Aliud Cartilagineum. Aliud tendinosum, &c. pro vario partium ex quibus coalescunt contextu. Hæc autem Solida communem admittunt parentem, Fibram videlicet fistulosam variis modis complexam.

III.

SICUT Fluidi agere & movere, sic & Solidi pati & quiescere proprium est; Solida siquidem, Fluidorum progenies, absque fluidis inertia jacent, suamque Existentiam & Essentiam ipsis acceptam referunt; veritati enim omninò consentaneum est Generationem, Actionem & Corruptionem Solidorum omnium à Fluidis pendere; ab his Animalia, Vegetabilia, ipsamet Metalla, Mineralia, ipsum Marmor gignitur, crescit & ipse Adamas. Compertum igitur teneas, liquido, seu succo Nutritio, vario pro diverso producendo Genere aut Specie, Solida omnia Natales suos debere. Ne Solida tamen, præsertim in animalibus, inertia & inutilia habeas caveto; quin immò cum Fluidis copulata & ab ipsis mota miros præstant effectus. Præcipua illis indita virtus, Elater, à quo fibrarum omnium Oscillatio, Arteriarum Diastole & Systole, vitæ complementum. Hunc Elaterem rectè deduces ex Aëre intra fibrarum porulos incluso & compresso, per vim suam Elasticam se se restituere conante, & parietes porulorum distendente; (ipse enim Aër hanc mutuatur virtutem ab Æthere partes suas facilè mobiles & disjunctas, ipsique innatantes agitante, & suo motu circumquaque dissipante, itaut quàm magnum possunt locum occupent.) Hoc autem Elatere urgentur Corporis Liquida, pinsuntur, attenuantur, & per immensam exilissimorum canaliculorum longitudinem transmittuntur; Sic Solida à Fluidis vim acceptam in Fluida vicissim exerunt, hæcque fugam semper molientia coercent. Sic Fluida activa semper, passiva quandoque fiunt. Sic Sanguis quæ ineptè sæpiùs movet, patitur verbera, & ex se depromptis mulctatur viribus. Hi duo Athletæ, Fluidum & Solidum invicem indesinenter arietando totum adimplent vitæ numerum, cujus status duplex, Sanus & Morbosus. Quandiu liquida hanc innumerabilium tubulorum compagem, pacato & facili negotio permeare valent, tandiu viget à morbis incolumis homo. Ubi primùm à requisita indole aberran-

442

tia moras trahunt,' aut effrenato cientur impetu, corruit illicò hæc adeò mirabilis motuum œconomia, ingruitque Morborum cohors. Verùm in Machina humana naturali conformatione beata, liquida ritè dispositä, solidas habent partes statutis à supremo Opifice legibus obeundis semper paratas, nisi Fluida priùs vitiata de statu naturali illas deturbarint; Solidorum namque peccamina mutuatitia sunt Fluidis debita. Omnem igitur qualemcunque Solidorum actionem Fluidis referre memento.

I V.

TRIA in Corpore humano distinguenda tibi veniunt. Solida, seu partes: Fluida, seu spiritus & humores per eas fluentes: Actiones, seu Functiones ex illis profectæ quod in solidis est vitium functionem lædens, Morbum, quod in Fluidis Morbi causam; quod in Functionibus, Symptoma nuncupa. Morbus autem inordinatus est solidorum motus à quo læditur functio. Cùm enim partes solidæ functionum sint opifices, & Sanitas posita remaneat in harumce integritate, quæ quidem functionum integritas à regulari & secundùm institutas naturæ leges celebrato partium motu pendet, earum motus exlex functiones lædens constituat Morbum citra dubium est. Inordinatus ille motus, & Affectus contra naturam functionem lædens, Synonyma. Affectum verò cum Affectione confundas cave. Hæc alterius parens non illum semper producit. Sicut igitur Fluida neque crasi, neque copiâ, neque motu peccantia bonorum omnium, sic à statu naturali devia, malorum omnium authores habeto. Fluidorum crasis multiplex vitium, pro diversis quibus prædita sunt saporibus. *Acerbum* enim, *Acidum, Austerum, Dulce, Amarum, &c. pro viribus aut copia magnam vim exerunt.* Hæc si mutuâ contemperatione quiescant, neque sensibus occurrunt, neque molestiâ quemquam afficiunt; at ubi horum quidpiam secretum fuerit, aut præ cæteris dominium teneat, tunc hominem cruciare solet. *Si namque*, ut prædicat Medicorum Princeps, *humor amarus parti cuidam affusus fuerit, quantæ anxietates, æstus & impotentiæ detinent; & quos, acuti, acres aut æruginosi humores, ægrotantibus dolores inferre valent; quanti iis furores, viscerum & Thoracis lancinationes & animi defectus suboriuntur.* At, inquies, hæc Fluidorum vitia Authores habent solidorum errata. Esto interdùm, sed secundariò. At unde prima solidorum errata? à se? nequaquam. Ergo à Fluidis priùs vitiatis. Corporis verò Fluida his primariò donari saporibus quis ibit inficias; Alimenta quippe variis referta sapidis principiis, salsis, scilicet, acribus, acidis, amaris, &c. sapores suos chylo & sanguini impertiuntur; hic verò succis à se secretis. Huic sapidorum principiorum in sanguinem invectioni frustrà obicem adhibes Mucum intestinorum. Testis est Sal sudoris, urinæ; testis, Sulphur Bilis, pinguedinis, testes, concretiones sulphureæ inflammabiles in hepate non rarò repertæ, testis demum sanguinis è venis recèns extracti Salsus sapor. Aër quoque miasmatis è terra, aquis stagnantibus vel aliis corporibus effluxis fetus, qualitates suas spiritibus, salivæ, humori trachæali aut ipsimet sanguini facilè confert. Topica tandem effluvia sua succis circumfluentibus per poros cutis immiscere valent. Hinc prima solidis inusta labes rursùs Fluidis inurenda. Sedulus autem advertas qualemcunque virtutem sub Fluidi vehiculo Solidis largiri; hæcque naturâ suâ quiescentia à Fluidis motum mutuentur necessum habere.

V.

AMBIGIS nunc utrum Morbi à Fluidis? singulos collustra & facile compertum habebis num causam efficientem semper Fluidum agnoscant. Omnes Affectus Comatosi, Apoplexia, Lethargus, Coma, Carus, Catalepsis, &c. sanguini crassiori & viscidiori, aut exuperanti, totam

Cerebri compagem prementi, vel lymphæ ejuſdem indolis, Cerebri ſubſtantiam inundanti, vel demum ſpirituum craſſitiei, rarefactioni & nimio Elateri, Meningum & vaſorum omnium Oſcillatorium motum interpellanti debentur. Convulſio, Epilepſia, Deliria omnia, ab humoribus ſalſis, acribus, acidis aut alterius indolis fibras vellicantibus, ſpirituumque motum perturbantibus oriuntur. Ephialtes, Aſthma, Peripneumonia, à ſanguine uberiori, craſſiori, viſcidiori in pulmonibus hærente, ipſorum vaſa diſtendente, & veſiculas anguſtante, ac propter moram aut ejus indolem quandoque nimiùm incaleſcente originem ducunt. Catarrhus, Tuſſis, Coryza, Hæmoptyſis, Phtyſis, redundanti aut rareſcenti ſanguini, vel Seroſæ Colluviei partes vellicanti, vaſa ſanguinea, ipſammet partium ſubſtantiam erodenti referuntur. Cruditates omnes, innumerabilium ferè Morborum Genitrices, Vomitus, Cholera-morbus, Cardialgia, Lienteria, Diarrhæa, Dyſenteria, alimentis crudis, craſſis, viſcidis, frigidis, ſalſis acidis, acribus, calidis, vel ſalivæ, ſucco ſtomachali, inteſtinali, Bili & ſucco pancreatico iiſdem vitiis labefactatis, fibras laxantibus aut irritantibus natales ſuos debent. Hydrops omnis, craſſo aut ſoluto ſanguini, vel ſucco acri lymphatica rodenti. Febres omnes, frequentiſſimi Affectus, aliorum Morborum individui ferè Aſſeclæ, ſucco aut ſanguini, craſi vel copiâ vitiatis, Cordis & Arteriarum Elaterem irritantibus. Plethora ipſa, tot chronicorum affectuum parens, exuperantibus ſuccis debetur. Quos tandem morbos non pariunt Animi Pathameta, aut Fluida in corpore præter naturam retenta. In curandis igitur morbis prima indicatio Fluidorum Medicatio; reparato quippe Fluidorum ſtatu naturali, reſtituitur & Solidorum naturalis motus. Quid plura? externas quoque ſcrutare cauſas. Num ſub liquidi vehiculo in maſſam ſanguineam irrepunt venena, eò ſæpiùs atrociores excitatura affectus quò diutiùs ſopita remanent? Aër ad infligendos morbos maximè efficax, qui unus plurimos ſimul attingit, variis inquinamentis conſperſus, terrarum, aquarum, cadaverum, aliorumve putreſcentium gravi expiratione inquinatus, vel temporum tempeſtatumque mutatione calidior, frigidior, humidior, craſſior, tenuior factus, acutorum ferè morborum eſt author, peſtilentiæ ſeminia plerumque invehit, Catarrhos, Tuſſes, Gravedines, Rheumatiſmos inducit. Alimenta ſub liquida ſpecie innumera morborum ſemina in corporis humores invehunt. Sed quid ſingula commemores? Uno verbo abſolve. Morbi ſunt motus Solidorum inordinati: à Fluidis autem omnes ſolidorum motus.

Ergo Morbi à Fluidis.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Henricus Beſnier.	*M. Anton. de Juſsieu, è Regia Scientiarum Academia, necnon Botanices in Horto Regio Profeſsor.*	*M. Franciſcus Maillard.*
M. Elias Col. de Vilars, Actus Moderator.	*M. Joanes-Baptiſta le Brethon.*	*M. Petrus-Paulus Guiart, Regii Mutilatorum Noſocomii Medicus ordinarius.*
M. Joannes Beſſe.	*M. Joannes-Baptiſta ſylva.*	*M. Ludovicus Poirier, antiquus Facultatis Decanus, necnon Sereniſsimi Delphini Medicus Primarius.*

Proponebat Pariſiis ANTONIUS LE MOINE, Pariſinus, Baccal. Medicus, A. R. S. H. 1714.

Ex Typographia J. Quillau, Typ. Jur. Lib. Univ. in via vulgò dicta *Galande.*